

hactenus habitorum per easdem in dicta Merseburgensi ecclesia receptis vel maiores prebendas expectantibus in eadem dictas alias personas in assecutione eorundem canonicatum et maiorum prebendarum ipsius ecclesie Merseburgensis voluimus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem canonicatum et maiorum prebendarum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si venerabili fratri nostro . . . episcopo et dilectis filiis capitulo Merseburgensi vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sede indultum existat, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint quodque de canonicatibus et maioribus prebendis ipsius ecclesie Merseburgensis vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis, aut si alie persone predictae presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie Merseburgensis solita iuramenta dummodo in absentia sua per procuratores idoneos et cum ad ecclesiam ipsam accesserint corporaliter illa presentent. Nos enim exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, constitutionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Rome apud sanctum Petrum XIII. kal. februar. pontificatus nostri anno quarto.

14.

Massilius von Vyanden, Cleriker der Cölner Diözese, erklärt, daß er wegen seiner Verhaftung seitens der Universität, nichts nachtheiliges gegen diese, noch gegen die Landesfürsten und deren Untergebene, noch gegen die Stadt Leipzig, überhaupt gegen irgend Jemand unternemen wolle. 30
1422, Juli 5.

Hdschr.: Or. Perg. Archiv der Universität (s. Zarncke, urkundliche Quellen 533) mit dem Siegel an Pergamentstreif.

Ego Massilius de Vyanden, clericus Coloniensis diocesis, studens alme universitatis studii Lipcensis diocesis Merseburgensis, tenore presentium recognosco, quod licet alias propter certos excessus | per me perpetratos, per dictam universitatem carceribus 35 ad aliquot dies fuerim mancipatus, tamen postquam per dominum rectorem universitatis memorate et quatuor assessores per nationes | ad hoc deputatos, ab eisdem carceribus